

Consilium delectorum Cardinalium ... de emendanda ecclesia ...

Roma 1538

4 J.can.p. 225 m

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10162442-6

10102442

4^o

J. Can. P.
225^{un}

T. Lem. 4225^m



Can. P. 225.^m
Consilium De

lectorꝝ Cardinalium, & aliorꝝ
Prælatorum: de emendan
da Ecclesia.

S. D. N. D. PAVLO. III.

Ipso iubente conscriptum &
exhibitum.

M. D. XXXVIII.



Blind-stamped text, likely a library or ownership mark, located at the bottom center of the page.



Bayerische
Staatsbibliothek
München

Beatissime Pater.

Tantum abest: vt verbis explicare possimus quod magnas gratias Respub. Christiana Deo Opt. Max. Agere debeat, quod te Pontificem hisce temporibus, ac Pastorem gregi suo praefecerit, eamque quam habes mentem dederit, vt minime speremus cogitatione eas, quas Deo gratias debet, consequi posse, nam spiritus ille Dei, quo virtus caelorum firmata est, vt ait propheta, labantem imo ferre collapsam in praecipitum Ecclesiam Christi pro te huic ruinae manum, vt videmus, supponere decreuit, eamque erigere ad pristinam sublimitatem decorique pristino restituere certissimam diuinam huius sententiae coniecturam nos facere valemus, quibus Sanctitas tua ad se vocatis mandauit, vt nullius aut commodi tui, aut cuiuspiam alterius habita ratione tibi significarem, abusus illos grauissimos, videlicet morbos quibus iam pridem Ecclesia Dei laborat, ac praesertim haec Romana Curia: quibus effectum prope est, vt paulatim ac sensim ingrauescentibus pestiferis his morbis magnam hanc ruinam traxerit, quam videmus. Et quoniam Sanctitas tua spiritu Dei erudita, qui, vt inquit Aug. loquitur in cordibus nullo verborum strepitu, probe nouerat principium horum malorum inde fuisse, quod nonnulli Pontifices tui praedecessores prurientes auribus, vt inquit apostolus Paulus, coaceruauerunt sibi magistros ad desideria sua non vt ab eis discerent, quod facere deberent, sed vt eorum studio & calliditate inueniretur ratio, qua liceret id quod liberet, inde effectum est, praeterquam quod principum omnem sequitur adulatio, vt umbra corpus, difficilimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principum, quod confestim prodirent Doct. qui docerent Pont. esse dominum beneficiorum omnium, ac ideo cum dominus iure vendat id quod suum est, necessario sequi, in Pont. non posse cadere Simoniam: Ita quod voluntas Pontificis qualiscumque ea fuerit, sit regula qua eius operationes ac actiones dirigantur, ex quo proculdubio effici, vt quicquid libeat, id etiam liceat. Ex hoc fonte Sancte

Patet tanquã ex equo Troiano irrupere in Ecclesiam
Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc
conspicimus eam ad desperationem fere salutis laboras-
se, vel manasse harum rerum famam ad infideles vsq̃.
Credat Sanct. vestra scientibus, qui ob hanc præcipue
causam, Christianam religionẽ derident a deo, vt per
nos, per nos inquit, nomen Christi blasphemetur
inter gentes. Tu vero Sanctissime pater, & vere sanctis-
sime edoctus a spiritu Dei, præter veterem illam tuam
prudentiam, cū totus in hanc curam incubueris, vt sa-
natis ægritudinibus Christi Ecclesia tuæ curæ cõmissa
bonam valetudinem recuperaret vidisti, ac probe vidi-
sti, inde incipiendam esse medicationem, vnde primū
ortus est morbus, secutusq̃ doctrinam apost. Pauli, vis
esse dispensator non dominus, & fidelis inueniri a Do-
mino, imitatus etiam seruum illum, quem in Euangelio
Dominus præfecit familiæ suæ, vt det illis in tempore
tritici mensuram, ac propterea decreuisti nolle quod
non liceat, nec vis posse quod non debes. ideoq̃ nos ad
te accersuisti, imperitos quidem ac tam magno nego-
cio impares, non parum tamen affectos cum honori &
gloriæ Sanct. tuæ, tum præcipue instaurationi Ecclesiæ
Christi, ac grauissimis verbis iniunxisti, vt omnes hos
abusus colligeremus, tibiq̃ illos significaremus, ob testa-
tus nos reddituros esse rationem huius negotii nobis
demandati, Deo optimo, si negligenter, ac infideliter
ageremus. Atq̃ vt omnia liberius inter nos tractari
possent, tibiq̃ a nobis explicari, iureiurando nos destri-
xisti, addita etiam excommunicationis pœna, ne cuipiã
aliquid huius nostri muneris proderemus. Nos igitur
tuo imperio parentes, collegimus quanto paucioribus
feri poterit, hos morbos, eorumq̃ remedia, ea inquam
quæ pro tenuitate ingenii nostri excogitare potuimus.
Tu vero pro tua bonitate ac sapientia omnia resarcies
ac perficies, in quibus pro tenuitate nostra offenderis-
mus. Verum vt omnia certis quibusdam finibus com-
plectamur, cum Sanct. tua & sit princeps prouinciarũ
harum quæ subsunt ditioni ecclesiasticæ, & sit Pontifex
vniuersalis ecclesiæ, sit etiam Episcopus Romanus, nis

hil nobis dicendum sumpsimus de his quæ pertinent
ad hunc principatum Ecclesiæ, quæ tua prudentia opti-
time regi videmus, tangemus tantum ea quæ pertinet
ad officium vniuersalis Ponti, & nonnulla quæ sunt Ro.
Episcopi. illud vero ante omnia Beatissime Pater, puta-
mus statuendum esse: vt dicit Aristot. in Polit. sicut in
vnaquaq; Repub. ita & in hac ecclesiastica gubernatio-
ne ecclesiæ Christi hanc præ omnibus legem habend-
dam, vt quantum fieri potest, leges seruentur. Nec pu-
temus nobis licere dispensare in legibus nisi vrgenti de
causa & necessaria. Nulla namq; perniciosior consuetu-
do in quavis Repub. induci potest, quam hac legum in-
obseruantia, quas sanctas maiores nostri esse voluerunt,
earumq; potestatem venerandam, & diuinam appella-
runt. Scis tu hæc omnia Opr. Pont. legisti iam pridem
apud Philosophos, & Theologos, Illud vero non tantum
huic proximum, sed longe prius & potius superiore pu-
tamus, non licere Pont. & Christi Vicario in vsu pote-
statis clauium, potestatis inquit a Christo ei collatæ
lucrum aliquod comparare. Hoc etenim est Christi mā-
datum, Gratis accepistis, gratis date. His primum statu-
tis, cum Sanct. vestra ita gerat curam Ecclesiæ Christi
vt ministros plurimos habeat, per quos hanc curam ex-
erceat. hi autem sunt Clerici omnes, quibus mandatus
est cultus Dei, Presbyteri præsertim, & maxime Curati,
& præ omnibus Episcopi. idcirco si gubernatio hæc sit
recte processura, primo danda est opera, vt hi ministri
idonei sint muneri quo fungi debent.

¶ Primus abusus in hac parte est ordinatio Clericorū,
& præsertim Presbyterorū, in qua nulla adhibetur cu-
ra, nulla adhibetur diligentia, quod passim quicumq;
sint imperitissimi, sint vilissimo genere orti, sint malis
moribus ornati, sint adulescentes, admittantur ad ordi-
nes sacros, & maxime ad præbyteratum, ad caracte-
rem inquam Christum maxime exprimentem, hinc in-
numera scandala, hinc contemptus Ordinis Ecclesiasti-
ci, hinc diuini cultus veneratio non tantum diminuta,
sed etiam prope iam extincta, ideo putamus optimum
fore, si Sanct. tua primo in hac vrbe præficeret huic ne

4
gotio duos aut tres Prælatos viros doctos, & probos,
qui Ordinationibus clericorum præessent, iniungeret
et episcopis oïbus, adhibitis et poenis censuræ, vt id
curaret in suis Diocesib⁹. Nec pmittat Sanct. veltra, vt
quispiam ordinetur, nisi ab Episcopo suo, vel cum licē
tia deputatorū in Vrbe, aut Episcopi sui, insuper vt in
ecclesiis suis q^q episcopus magistrū habeat, a quo cleri
ci minores, & literis & morib⁹ instruantur, vt iura p̄cipiū
Abusus alius maximi ponderis est in collatione bene
ficiorum ecclesiasticorum, maxime curatorum, & præ
omnibus episcopatum, in quibus vsus inualuit, vt pro
uideatur personis quibus conferuntur beneficia, non
autem gregi Christi & Ecclesiæ. Ideo in cōferendis his
beneficijs curatis inquam, sed præ aliis episcopatibus
curandum est, vt conferantur viris bonis doctisq^q, ideo
vt per se possint fungi illis muneribus, ad quæ tenen
tur: insuper illis, quos verisimile est residenti in factu
ros, non ergo Italo conferendum est beneficium in his
spania, aut in Britānia, aut contra hoc seruandum est
tam in collationibus cum vacant per decessum, quam
in cessionibus, in quibus nunc tantum habetur ratio vo
lūtatis cedētib⁹, nullius p̄terea rei, in cessionibus his siq^q
piā p̄ficeretur p̄bus vnus pluresue, bñ factū iri putarem⁹
Alius abusus, cum beneficia conferuntur seu cum ce
duntur aliis, irrepsit in constituendis super eorum fru
ctibus, pensionibus: imo quandoq^q cedens beneficio om
nes sibi fructus reseruat. Qua in re illud est animaduert
endum, nulla alia de causa, nulloq^q alio iure pensiones
constitui posse, nisi vt quasdam elemosynas, quæ in pi
os vsus, & indigentibus concedi debent. Nam redditus
sunt annexi beneficio, vt corpus animæ, ideo sua natu
ra pertinent ad eum qui beneficium habet, vt possit ex
eis viuere honeste pro suo ordine, simulq^q queat susti
nere impensas pro diuino cultu, & templi sacrarumq^q
ædium reparacionem, & quod reliquum est impendat
in pios vsus. Hæc est enim natura eorum reddituum,
Verū sicuti in rerū naturæ administratiōe nōnulla sūt
a natura vniuersali p̄ter inclinationē vniuersalis nature
Sic in Pōr, q̄ est vniuersalis dispēsator bonorū ecclesiæ, si

viderit eā fructuū portionē, q̄ i pios vsus expēdi debet
aut ei² partē i piū quēpiā aliū vsū, vt expēdatur magis
expedire, pōt pculdubio id facere. Ideo iure merito pē
sionē ponere pōt, vt subueniat egeno p̄sertim c̄lico, vt
honeste q̄at viā ducere, p̄ eiusdē ordine. Ideo oēs fru
ctus reseruari, adimiq̄id oē, quod diuino cultui sustenta
tioniq̄ h̄ntis b̄nificiū tribui debet, magnus ē abusus. Itē
q̄ p̄siones dari c̄licis diuitib², q̄ cōmode & honeste vi
uere q̄ūt ex redditib² quos habent, magnus certe abu
sus, tollendus vterq̄.

Alius itē abusus i p̄mutatiōib² b̄nificior̄ q̄ sūt cū pactio
nib², q̄ simōiacę oēs sūt, nulloq̄ r̄spectu habito nisi lucri
Abusus ali² oīno auferēd², q̄ calliditate q̄dā nonnullox
pitor̄ iā iualuit i hac Curia. nā cū lege cautū sit, b̄nificia
testamēto legari nō posse, cū nō sint testatoris, sed eccl̄ie
& vt res hęc eccl̄iastica seruetur cōmūis bonor̄ oīum
nō aut fieret priuata cuiuspiā, iuenit hūana nō tñ xp̄ia
na iudustria plurimos modos qb² huic legi illudat. Nā si
unt renūciatiōes ep̄atuū aliorūq̄ b̄nificior̄ primo cū re
gressu, addūt reseruatiōē fructuū, addūt reseruatiōē
collatiōis b̄nificior̄. Insup cumulat reseruatiōē admini
stratiōis, faciūtq̄ hoc pacto ep̄um, q̄ nullū ius habet ep̄i
alterūvero cui iura oīa ep̄i cōpetāt, nō tñ ep̄um. videat
Sanct. tua, quo p̄cessit asētatoria illa doctrina, qua tan
dē effectū ē, vt id liceat qd̄ libeat. Quid q̄so ē hoc nisi hęc
redē b̄nificij sibi cōstituer̄? Alius p̄ter hūc iuētus ē dolus
cū, s. coadiutores dāt ep̄is petētibus, minus idonei, quā
ipsi sint, ita vt nisi quispiam claudere oculos voluerit,
liquido videat h̄redem ea ratione institui.
Itē lex ē antiqua iustaurata a Clemēte, ne filij p̄sbyterorū
habeāt parētū b̄nificia, ne, s. res cōis hoc mō fiat priua
ta. Dispēsat tñ vt audim² i hac venerāda lege. Nolum²
tacere id qd̄ verissimū eē quis prudens p̄ se iudicauerit,
nullā rē magis cōflasse hāc iuidiā C̄licis, vnde tot sedi
tiōes sūt ortę, & alię iustāt, q̄ hāc auersionē cōmodor̄ &
p̄uentuū eccl̄iasticorū a cōi ad rē priuatā, añ hac oēs pa
bāt, nūc i despatiōē adducti acuūt l̄guas cōtra hāc sedē
Alius abusus est i expectatiuis, & reseruatiōib² b̄nificio
rū, qbus & datur occasio, vt aliena mors desideret, & li
beter audiat. Precludūt et aditū supremū digniorib² cū
vacāt, dāt licibus causam. Oēs has putam² tollēdas esse.

Abusus alius est eadem calliditate inuentus. Nam quaedam beneficia incompatibilia iure sunt, & appellan-
tantur, quæ ex ipsa vi nominis maiores nostri admone-
rent nos voluerunt, non deberi ea vni conferri, nunc in
his dispensatur, non tantum duobus sed pluribus, &
quod peius est in Episcopatibus. Hunc morem qui ob
auaritiam tantum inualuit tollendum ducimus, præ-
sertim in episcopatibus. Quid de vnionibus beneficio-
rum ad vitam vnus, ne .s. obster illa beneficiorum plu-
ralitas ad obtinenda incompatibilia, nonne est mera
fraus legis?

Alius etiam abusus inualuit, vt Reuerendis. Card.
Episcopatus conferantur seu comendentur, non vnus
tantum sed plures, quem Pater Beatissime putamus ma-
gni esse momenti in Ecclesia Dei, primo quidem quia
officium Cardinalatus, & officium Episcopi incompati-
bilia sunt. Nam Card. est assistere Sanctæ tuæ in gu-
bernanda vniuersali Ecclesia, Officium autem Episco-
pi est pascere gregem suum, quod præstare bene, nec vt
debet potest, nisi habitet cum ouibus suis, vt pastor cū
grege. Præterea Pater sancte hic vsus maxime obest
exemplo. Quomodo namq; hæc Sancta Sedes, poterit
dirigere & corrigere aliorum abusus, si in præcipuis
suis membris abusus toleratur: nec ob id quod Card.
sint, putamus eis magis licere transgredi legem, imo
longe minus. Horum enim vita debet esse aliis lex, nec
imitandi sunt Pharisei, qui dicunt & non faciunt, sed
Christus. Saluator noster incepit facere & postea docere.
Amplius hic vsus nocet in consultationibus Eccle-
siæ, nam hæc licentia fomentum est auaritiæ. Ambiunt
præterea Card. a Regibus & principibus Episcopatus
a quibus postea dependent, nec possunt libere senten-
tiam dicere, imo si possent & vellent, fallerentur tamen
passione animi in iudicando perturbati. Ideo vtinam
hic mos tolleretur, & prouideretur Card. vt possent ho-
neste pro dignitate viuere omnibus æquales redditus,
quod putamus facile fieri posse si vellemus abicere ser-
uitutem Mammonæ, & Christo tantum seruire.

His castigatis quæ pertinent ad constituendos tibi mi-

nistros: quibus veluti instrumentis & cultus Dei bene administrari: & populus Christianus in vita Christiana bene institui, & regi possit: accedendum nobis est ad illa, quæ spectant ad gubernationem Christiani populi. In qua re Pater Beatissime abusus ille primus & præ omnibus corrigendus est: ne scilicet Episcopi primum, & præ omnibus aliis, deinde ne curati abessent a suis Ecclesiis & Parochiis: nisi ob grauem aliquam causam, sed residentiam facerent: maxime Episcopi, vt diximus, quia sunt sponsi Ecclesie ipsi demandatæ. Nam per Deum immortalis: quis miserabilior viro Christiano conspectus esse potest, Christianum orbem peragranti: quam hæc solitudo ecclesiarum? Omnes fere pastores recesserunt a suis gregibus: commisi sunt omnes fere mercenariis. Imponenda ergo esset magna pœna Episcopis præ aliis: deinde Curatis qui absunt a suis gregibus: non tantum censurarum: sed etiam ne reciperent redditus illi qui absunt: nisi impetrata licentia: a tua Sanct. Episcopi: Curati ab episcopis suis: per breue aliquod temporis spatium. Legantur in hoc aliqua Iura: aliquorum Conciliorum decreta: quibus cautum erat: Episcopo non licere abesse a sua Ecclesia: nisi tribus tantum Dominicis.

¶ Abusus etiam est: quod tot Reuerendiss. Cardi. absint ab hac Curia, nec aliqua in parte faciant quidpiam eius officii quod spectat ad Cardi. Ideo & si fortasse non omnes: quia expedire existimamus nonnullos habitare in Prouinciis suis: nam per illos tanquam per radices quasdam in totum orbem Christianum sparsas continentur populi sub hac Rom. Sede. Plurimos tamen esset Sanct. tuæ vocare ad curiam vt hic residerent. Hac enim ratione præterquam quod fungerentur officio suo Cardi. prouideretur etiam amplitudini Curie: supplereturque si quid ei detractum fuisset per recessum multorum episcoporum: qui ad suas Ecclesias se contulissent.

¶ Alius abusus magnus: & minime tolerandus: quo vniversus populus Christianus scandalizatur: est ex impedimentis quæ inferuntur episcopis in gubernatione suarum ouium, maxime in puniendis scelestis & corrigendis. Nam primo multis viis eximunt se mali homines

præsertim Clerici a iurisdictione sui Ordinarii. deinde si non sunt exempti: confugiunt statim ad pœnitentiam, vel ad Datariam: vbi confestim inueniunt viam impunitati, & quod peius est ob pecuniam præstitam, hoc scandalum Beatissime Pater tantopere conturbat Christianū populum: vt non queat verbis explicari. Tollantur obtestamur Sanct. tuam per sanguinem Christi: quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamq; lauit eodem sanguine. Tollantur hæ maculæ, quibus si daretur quispiam aditus in quacūq; hominum Rep. aut regno, confestim, aut paulo post in præceps rueret: nulloq; pacto diutius consistare posset, & tamen putamus nobis licere, vt per nos in Christianam Rempub. inducantur hæc monstra.

¶ Alius abusus corrigendus est in Ordinibus religiosorum: quod adeo multi deformati sunt, vt magno sint scādalo secularibus, exemploq; plurimum noceant. Conuentuales Ordines abolendos esse putamus omnes, non tamen vt alicui fiat iniuria, sed prohibēdo ne nouos possint admittere. Sic enim sine vllius iniuria cito delerētur, & boni religiosi eis substitui possent. Nunc vero putamus optimum fore: si omnes pueri, qui non sunt professi, ab eorum monasteriis repellerentur.

¶ Hoc etiā animaduertendū & corrigendū censemus: in prædicatoribus & cōfessoribus cōstituendis a fratribus, quod ab eorū præfectis primum adhiberetur magna diligentia: vt idonei essent, deinde vt præsentarētur episcopis, quibus præ omnibus cura Ecclesiæ est demandata: a quibus examinarentur per se, vel per viros idoneos, nec nisi eorū consensu admitterentur ad hæc peragenda.

¶ Diximus beatissime Pater, non licere aliquo pacto in vsu clauis aliquid lucris vtenti comparari. est in hac re firmū verbum Christi: Gratis accepistis, gratis date. Hoc non tantum ad Sanct. tuam pertinet, sed ad omnes qui sunt participes huius potestatis, ideo a legatis & nunciis vellemus idem seruari. Nam sicut vsus qui nūc inualuit, dedecorat hanc Sedem & conturbat populum, ita si fieret econtra, maximum decus huic Sedi cōpararetur, & ædificaretur mirifice populus.

¶ Abusus alius turbat Christianū populum in Monial

bus, quæ sunt sub cura fratrum conuentualium: vbi in plerisque monasteriis fiunt publica sacrilegia cum maximo omnium scandalo. Auferat ergo Sanct. vestra omnem eam curam a conuentualibus, eamque det aut Ordinariis, aut aliis, pro vt melius videbitur.

¶ Abusus magnus & perniciosus est in gymnasiis publicis, præsertim in Italia, in quibus multi Philosophiæ professores impietatem docent, imo in templis fiunt disputationes impiissimæ & si quæ sunt piæ, tractantur in eis res diuinæ coram populo valde irreuerenter: ideo putaremus indicendum episcopis, vbi sunt publica gymnasia, vt per eos admoneant Lectores, qui legunt ne docerent adolescentes impietatem / sed ostenderent infirmitatem luminis naturalis in quæstionibus pertinentibus ad Deum / ad mundi nouitatem, vel æternitatem, & similia, eosque ad pietatem dirigerent. Similiter ne permitterent fieri publicas disputationes de huiusmodi quæstionibus, neque etiam de rebus Theologicis: quæ certe multum existimationis perdunt apud vulgus / sed priuatim de his rebus fiat disputationes, publicæ de aliis quæstionibus Physicis. Idemque iniungendum esset omnibus aliis Episcopis maxime insignium ciuitatum / in quibus huius generis disputationes fieri solent. In Impressione etiam librorum eadem adhibenda esset diligentia / scribendumque Principibus omnibus, vt caueant ne passim quiuis libri in eorum ditione imprimantur. Dandaque esset huius rei cura Ordinariis. Et quonia pueris in ludis solent nunc legi Colloquia Erasmi, in quibus multa sunt / quæ rudes animos informant ad impietatem: Ideo eorum lectio in ludis literariis prohibenda esset, & si qua alia sunt huius ordinis.

¶ Post hæc quæ ad instituendos ministros tuos in hac vniuersalis Ecclesiæ cura / & in eius deinde administratione spectare videntur / animaduertendum est in gratiis, quæ fiunt a tua Beatitudine, præter priores abusus, alios quoque abusus introductos esse.

¶ Primus est in fratribus seu religiosis apostatis, qui post votum solenne a sua religione recedunt, impetrantque, ne teneantur gerere habitum sui Ordinis, imo nec vestigium habitus, sed tantum vestem honestam Clericalem, prætermittamus nunc de lucro. Iam enim diximus in

principio, nō licere ex vsu clauū, & potestatis a ch̄o tra-
ditæ comparare sibi lucrū, sed ē ab hac gratia abstinendū.
Nā habitus est signū professionis, vnde nec ab ep̄o
potest dimitti, cui tenentur hi Apostata: ideo hæc gratia
eis concedi non deberet, neq; etiam cū ipsi recesserint
a voto, quo Deo se obligarant, eis permittatur, vt habe-
ant beneficia, neq; administrationes.

¶ Alius abusus in Quæstuariis Sancti Spiritus, Sancti
Antonii, aliisq; huius generis: qui decipiunt rusticos &
simplices, eosq; innumeris superstitionibus implicant,
tollendos hos quæstuarios censemus.

¶ Abusus alius in dispensatione, cum constituto in sa-
cris Ordinibus, vt possit vxorē ducere, hæc dispensatio
non esset vlli danda, nisi pro conseruatione populi cuius
iuspiā, vel gentis, vbi esset Publica causa grauissima, p̄-
sertim his tēporibus in qbus vrgent Luth. hæc rē maxie

¶ Abusus in dispēsatione in nuptiis inter consanguine-
os seu affines, certe in secūdo gradu non putamus faciē-
dā esse, nisi ob publicā causam grauē. In aliis vero gra-
dibus non nisi ob causā honestā, & absq; pecunia vt dis-
ximus, nisi iā prius coniūcti essent, vbi liceret p̄ absoluti-
one a peccato iā perpetrato imponi mulcta pecuniaria
post absolutionē & deputari ad pios vsus, in qbus facit
Sanct. tua impensas. Nam sicut vbi non est peccatū in
vsu clauium nihil exigi potest pecuniæ, ita vbi absolutio
petitur a peccato, imponi mulcta pecuniaria potest &
deputari ad pios vsus.

¶ Abusus alius in absolutione Simoniaci, proh dolor
quantū in ecclesia Dei regnat hoc pestilēs vitiū, adeo vt
quidā nō verentur Simoniā cōmittere: deinde confestim
petūt absolutionē a pœna, imo eā emūt, sicq; retinēt bñ-
ficiū quod emerūt. Non dicimus Sāct. tuā non posse pœ-
nā illā quæ est de iure positiuo constituta eis condonare
sed q; nullo pacto debeat, vt tāto scelere resistatur, quo
nullum perniciosius nec magis scandalosum.

¶ Licētia ē testādi Clericis de bonis ecclesiæ non esset
danda: nisi pro causa vrgenti, ne bona pauperū con-
uerterentur in priuatas delicias & amplificationes do-
morum.

¶ Confessionalia autē cū vsu altaris portatilis non essēt facile danda, sic. n. vilescunt ecclesiasticæ res & sacramētū omnium præcipuū, Nec indulgentiæ item dandæ essent, nisi semel in anno in vnaquaq; insigniū ciuitatum
Cummutatio ēt vororū neq; ita facile faciēda, neq; com mutanda, præterquam in æquiualens bonum.

¶ Consueuere ēt mutari volūtates vltime testatorū, q ad pias causas legāt quāpiā pecuniæ sūmā, quā authori tate Sanct. tuæ trāsferūt ad heredē vel legatariū ob præ tēsam paupertatē &c. Idq; ob lucrū certe, nisi facta sit ma gna mutatio ī re familiari hæredis p obitū testatoris, ita q; verisimile sit, testatorē ob eā mutationē mutaturū fuis se volūtatē. Volūtates testatorum mutari impium est, de lucro iam toties diximus, quare putamus omnino abstinendum.

¶ Oībus in sūma explicatis q; p̄tinent ad vniuersalis ec clesiæ Pont. quātū animo potuimus compræhendere, restat vt nonnulla dicamus quæ p̄tinent ad Rom. Episc̄ copū. Hæc Romana ciuitas & Ecclesia, mater est & ma gistra aliarū ecclesiarū. Ideo maxime in ea vigere debet diuinus cultus & morū honestas, ideo Beatissime Pater scandalizantur oēs exteri, qui ingrediūtur templū Bea tissimi Petri, vbi sacerdotes quidā sordidi: ignari: induti paramētis & vestibus, qbus nec in sordidis ædibus ho nestari possent, Missas celebrāt, hoc magnū est oībus scandalū, ideo iniūgendū est Reuerendis, Archipresby tero, vel Reuerendiss. pœnitentiario, vt hæc curent, & a moueant hoc scandalum sicq; in aliis ecclesiis.

¶ In hac ēt Vrbe meretrices, vt matronæ incedunt p Vrbe, seu multa vehuntur, quas affectātur de media die nobiles familiares Card. clericiq;. Nulla in vrbe vidim⁹ hāc corruptionē præterq; in hac omnium exemplari, ha bitant etiam insignes ædes, corrigendus etiam hic turpis abusus.

¶ Sūt et in hac vrbe priuatorū ciuiū odia, & inimicitie, quas componere, & ciues conciliare p̄cipue interest epi scopi, ideo per Card. quosdam Rom. præsertim qui ma gis essent idonei, omnes hæ inimicitie componendæ es sent, & ciuium animi conciliandi.

¶ Sunt in hac vrbe hospitalia, sunt pupilli, sunt viduæ,
harum cura maxime pertinet ad episcopum & ad Princi
pem. Ideo Sanct. tua per Cardinales viros probos posset
etiam commode hæc omnia curare.

¶ Hæc sunt Beatissime Pater, quæ in præsentia pro te
nuitate ingenii nostri colligenda esse duximus, & quæ no
bis corrigenda viderentur. Tu vero pro tua bonitate &
sapientia omnia moderabere, nos certe si non rei magni
tudini, quæ nostras vires longe superat, conscientia tamē
nostræ satisfacimus, non sine maxima spe, vt sub te Prin
cipe videamus Ecclesiam Dei purgatā, formosam vt co
lumbam sibi concordem, in vnum corpus consentientē
cum æterna tui nominis memoria. Sumpsisti tibi nomen
Pauli, imitaberis speramus charitatem Pauli. Electus
fuit ille, vt vas, quod deferret nomen Christi per gentes:
Te vero speramus electum, vt nomen iam Christi ob
litum a gentibus, & a nobis Clericis, restituas, in cor
dibus & in operibus nostris ægritudines sanes / oues
Christi in vnum ouile reducas / amoueasq; a nobis iram
Dei, & vltionem eam quam meremur / iam paratam, iam
ceruicibus nostris imminentem.

Gaspar Cardi. Contarenus.

Ioh. Petrus Cardi. Theatinus.

Iacobus Cardi. Sadoletus.

Reginaldus Cardi. Anglicus.

Federicus Arch. Solernitanus.

Hieronimus Arch. Brundusinus.

Ioh. Matthæus Episc. Veronensis.

Gregorius Abbas Sancti Gregorii Venet.

Frater Thomas Magister Sacri Pallatii.

Impressum Romæ apud Antonium Bladum.

M. D. XXXVII.



